

Tota olim Tribocorum regio, quam hodie vocant Alsatiā, tractus Argentoratensis fuit appellata. Argentoratum autē, vulgò Strasburg, olim mediocre fuit oppidum, hodie verò eminentissima vrbs est, habuitq; comitem rei militaris, qui etiam Argentoratensis dicitur erat. Quòd verò scribunt quidam, ante Iulij Cæsaris tempora in Argentorato cameram fuisse Romanorum, atq; ob id vrbs eam Argentinam dictam multi fuisse esse putant, cum Romani olim Rationalem summam in Gallijs habuerint, & præpositum thesaurorum apud Treveros, atq; illic etiā procuratorem monetæ: quapropter cum comiti Argentoratensi in stipendia militum pecunijs opus esset, aliunde haud dubiè suppeditabatur. vrbs tamen hanc ab antiquo semper celebratam fuisse constat, quin & felicissima illa Iuliani cum Alemannis pugna eam adhuc nobiliorem apud veteres fecit. Octo enim Reges Alemannorum coniunctis viribus, Rhenum cum Iuliano pugnaturi transcenderunt, & apud Argentoratum, vbi castra fixere sua à Iuliano cædebantur. Fuit autē hæc vrbs primò tributaria Treuirensibus, deinde Romanis subiecta, tertio paruit regibus Francorum, hodie incorporata est Imperio, numeraturq; prima inter liberas ciuitates, abundat autē omnibus bonis, excellitq; in opibus cunctas Rheni ciuitates. miram habens copiam vini & frumenti, vtpote quæ situm habet in optimo fando, etiā si oleribus & radicibus ferendis accommodatior sit quàm vino producendo. Turrim habet elegantissimam, quingentos septuaginta & quatuor pedes geometricos altam. Occidentem versus Taberna vrbs sita est, vulgò Z.beren: sicut ex Turego Zuregum vulgò Zurch, & ex Tugio Zugium. fuit autē Taberna munimentum Romanorū ad prohibendas Alemannorum in Galliam incursiones, hodie ibi præfulis Argentinensis est domicilium & curia. Sūt qui Alsaticam hanc Tabernam à Iulio Cæsare cōditam tradant, qui taxauit in Calendario annum ad duas & quinquaginta Septimanas: dies verò trecentos & sexaginta quinque. conformiter enim mœnibus Tabernæ adiecit quinquaginta duas turres, atque murum discriminauit in trecenta & sexaginta quinque mœnia, septem scilicet inter duas turres ponens pinnas hoc in oppido & extra mœnia anno Christi 1525. occisa fuerunt aliquot millia seditiosorum rusticorum à Duce Lotharingi, spacio trium horarum, ac deinde post quatrimum idem princeps iuxta vicum Schervveiler, qui medio miliario distat à Selestadio, occidit iterum aliquot millia rusticorum. Haud procul à Taberna oppidulum quoddam est, & iuxta illud monasterium Maurismunster, institutum à Mauro abbate. Est & aliud monasteriū parum distans à Brocomago, cui à sancto Spiritu titulus est, quod dicitur fundasse Landgravius quidam Stephanus nomine, à quo etiam nomen accepit. Nam vocatur Steffansfeld, & corrupte Stechfeld, est in eo loco Brephotrophium, hoc est, domus in qua pueri expositi aluntur. Hinc Septentrionem versus Haganoa conspicitur, ciuitas anno Christi 1164. à Friderico Barbarossa muro clausa, in hac principes terræ morabantur quando in Foresto venationibus vacabant. Fundum habet circum mœnia arenosum, sed sterilitate in istam compensat ager fertilis, paulò longius à ciuitate semotus. Vterius descendendo VVissenburgum apparet, in signe & clarum oppidum, ad Volsagi montis radices, cuius per medium Lutra amnis interluitur. Huius loci tanta est vetustas, vt etiam apud nullos rerum scriptores eius origo reperiatur. Hic Dagobertus Gallorum Rex anno Christi sexcesimo sexagesimo quarto in signe ac regale monasterium in finitibus extruxit sumptibus, illudq; monachis Benedictini ordinis tradidit. Distat ab Argentina secundū Rheni cursum sex miliarijs Salsatiū, vulgò Selsat ibi Abbatia est ordinis Benedictini, instituta ab Adelheide Imperat. Ottonis I. vxore, Filia Rudolphi Regis Burgundiz, quæ etiam sepulta ibi est. Est autem Rhenus eo in loco auri valde ferax, quippe quod purum ex arena colligitur & conflatur. Clauditur autem Alsatiā Boream versus iuxta Rhenanam ac montanam Tabernas, condiderunt namque olim Romani Tabernas tres iuxta Rhenum, aut non procul ab eo, in quibus milites hyemauerunt, nempe Tabernam Alsatiā (de qua superius) quam hodie possidet Episcopus Argentinensis: Tabernam Rhenanam, cuius Dominus est Episcopus Spirensis: & Tabernam montanam, quæ vno miliario distat à VVissenburg, pareteq; duci Bipontino. Sed cum Ludouicus Dux niger arma mouisset contra principem Electorem palatinum, Fridericum scilicet, indignatus princeps Elector, spoliavit eum hoc oppido, anno Christi 1455. Sed quod deinde illi restituit, spe bona ductus, quod nunquam contra se ageret, quod tamen illo minimè seruauit.

